



## **Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...**

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In qua tractatur de Virtute ac Sacrameto Pœnitentiæ

**Bosco, Jean a**

**Lovanii, 1670**

Concl. VI. Qui dixit se decies peccasse plùs minùsve, sufficienter explicavit numerum peccatorum, quamvis postea comperiat se duodecies peccasse: insufficienter, si vigesies. Tacuisti peccatum certum ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73393)

catum detectum esse mortale. Quippe in omnibus id scire, est impossibile. Hæc ille.

149. Sed contra: pono casum; quod aliquis peccaverit cum femina, quam, dum confitetur, nec ipse, nec Confessarius potest scire determinatè qualis fuerit, soluta an conjugata; si postea sciat fuisse conjugatam, quaro an non teneatur iteratò confiteri?

Si in hoc casu sit obligatio; cur non etiam in casu Sanchii? Vel si in casu Sanchii non est obligatio; cur erit obligatio in hoc casu? Numquid veniale & mortale minds differunt inter se, quàm simplex fornicatio & adulterium? Profectò peccatum veniale à mortali non solùm specie, sed genere morali differt. Si ergo Confessarius non debet determinatè scire differentiam genericam, quæ constituit unum peccatum materiam necessariam Confessionis, & aliud relinquit materiam liberam, cur debeat determinatè scire differentiam specificam? Vel si hæc debet postmodum explicari in nova Confessione; cur non & illa? Nam sapè tam impossibile est explicare differentiam specificam, quàm genericam. Neque plenè in Confessione suum peccatum detegit, qui non detegit malitiam mortalem aut venialem: nec mindus explicandum est genus in Confessione, quàm species aut circumstantia. Hæc mature expendantur.

Ego, quia laboro non in aggravando onere Confessionis, sed in alleviando, libenter amplector sententiam communem; quia esset nimis grave onus, obligare pœnitentem ad hoc, ut Confessarius formet iudicium de qualitate venialis aut mortalis, postquam iam ipse ex parte sua rem totam cum omnibus suis circumstantiis declaravit. Unde non creditur Christus ad ampliùs obligasse. Voluntas ergo Christi est ratio à priori.

Congruentiam aliquam assignat Arriaga supra n. 50. Nam (inquit) quod circumstantiis omnibus iam enarratis Confessarius iudicet esse mortale aut veniale, pendet ex doctrina & ingenio; aut è contrario ex stoliditate ejusdem Confessarii, quam pœnitens non tenetur examinare; nec deceret id facere, uti etiam non expediret eundem interrogare, an intellexerit quale illud peccatum sit; debet enim supponere pœnitens in Confessario esse sufficientem pro hac distinctione scientiam. Et licet ipsi constet, quod fortasse Confessarius aliter iudicaverit, non est cur cogatur iterum redire, & illum informare aliter; sicut si ipse sincerè determinatè numerum peccatorum exposuisset, estò fortasse Confessarius ex aliqua inadvertentia putasset, alium numerum fuisse, & hoc post Confessionem sincerè factam deprehendisset, nequaquam teneretur ideo secundò confiteri ad eam ignorantiam depellendam; quia hoc esset onus expositum gravissimis scrupulis & afflictionibus consentium. Hucusque Arriaga.

Addit tamen; si pœnitens (licet bonà fide) tali modo narraſſet suum peccatum, ut quasi necessariò ea narratio induceret in quocumque Confessario, etiam prudenti, iudicium, quod non fuisset nisi veniale, & deprehendisset postea idem pœnitens fuisse mortale; tunc (inquit) omnino iudicarem illam teneri ad declarandum fuisse mortale: quia tunc ex parte sua non fecisset id, quod erat necessarium ad hoc, ut Sacerdos ferret iudicium de qualitate ejus peccati.

Idem & ego iudicarem, nisi & hoc esset opus expositum gravioribus scrupulis & afflictionibus pœnitentium, qui continè erunt anxii, an tali modo narraſſerint suum peccatum, ut prudens Confessarius posset iudicare, fuisse mortale. Cur ergo etiam in hoc casu, ortus istud non potest exculcare pœnitentes ab iterata Confessione, sicuti exculcat rusticos, mulierculas & pueros, qui bonà fide suas Confessiones coram Parocho grossiori modo exhibuerunt, licet peritiores vel grandiores effecti, videant in multis se defecisse? Non video sufficientem disparitatem; cum & illi rustici, mulierculæ & pueri non fecerint ex sua parte, quod erat necessarium, ad hoc ut Sacerdos ferret iudicium de specie & numero peccatorum, & tamen non coguntur repetere Confessiones.

Nihilominus tutius erit, habità perfectè & certà cognitione defectus, iterum declarare eadem peccata eo modo, ut Sacerdos possit, nisi obſtet ejus ignorantia & stoliditas, ferre iudicium de genere, specie & numero peccatorum. Similiter tutius erit, peccatum id dubium declaratum, si postea reperitur certum, iteratò ut certum exprimeret, imò fortè necessarium. Quid enim tam essenziale peccato, quàm existentia? Adeoque certitudo existentia videri posset esse circumstantia seu conditio, tenens se ex parte objecti & peccati; non minùs quàm ipsa existentia, que indubiè tenet se ex parte objecti & peccati, & primo loco explicanda est in Confessione; cum peccatum existens, & non existens, plùs differant, quàm peccata specie, aut numero distincta.

Occasione hujus difficultatis, quæſtio movetur, ad quid se extendant illa verba, quibus non rarò utuntur fideles in Confessione: *Plùs, minùsve*? Responſio erit

### CONCLUSIO VI.

Qui dixit se decies peccasse plùs minùsve, sufficienter explicavit numerum peccatorum, quamvis postea comperiat se duode-

149. Objectio contra sententiam affirmantem.

150. Ratio à priori voluntatis Christi.

151. Congruentia aliqua ex Arriaga.

152. Ratio à priori voluntatis Christi.

153. Ratio à priori voluntatis Christi.

154. Ratio à priori voluntatis Christi.

155. Ratio à priori voluntatis Christi.

156. Ratio à priori voluntatis Christi.

157. Ratio à priori voluntatis Christi.

158. Ratio à priori voluntatis Christi.

159. Ratio à priori voluntatis Christi.

160. Ratio à priori voluntatis Christi.

duodecies peccasse: insufficienter, si vigesies. Tacuisti peccatum certum ex oblivione, vel aliâ sine culpa, manet obligatio confitendi.

Quoniam frequenter præcisa notitia numeri peccatorum est moraliter impossibilis, sufficit tunc exprimere numerum, qui creditur magis verisimilis, dicendo v. g. *Decies fornicatus sum plus minusve*. Ficit enim quod est moraliter possibile, quodque satis est ad iudicium humano modo ferendum. Nec est permittendum, quod Aliqui dicunt: *Malo excedere in numero, quam deficere*. Item: *Malo confiteri peccatum dubium ut certum, quam ut dubium*; cum Confessio debeat esse fidelis & verax. Quamquam (ut notat Sanchez in Decal. lib. 1. c. 10. n. 68.) sæpè poenitens excusetur à peccato, eò quod bonâ fide & quadam simplicitate id faciat, existimans consultius esse se gravare, quam exonerare.

Hinc Sylvester verb. Confessio. quæst. 8. Non est mortale se accusare peccatorem tantum in genere, nec se accusare de veniali non commisso in specie; immò nec de mortali in casu dubio ad consulendum conscientiam; dummodo non asseratur certè, sed dubiè vel probabiliter, etiamsi quis plus iusto aequaliter se aggravet ad tutamen conscientiam. Hæc ille. Ego autem cum Eccl. c. 7. v. 17. dico: *Noli esse iustus multum: neque plus sapias, quam necesse est, ne obstupescas*. Confiteri peccata tua non tantum humiliter, sed etiam fideliter & veraciter, nec nitium aggravando, neque plus iusto extenuando eorum malitiam; & in pace erit conscientia tua.

Quod si excesseris præter intentionem tuam, noli esse sollicitus de iterata Confessione, ut dixi in principio Conclusionis præcedentis. Sin autem defectus aliquis commissus fuerit sive in genere, sive in specie peccatorum, v. g. dicendo peccatum veniale pro mortali, simplicem fornicationem pro adulterio, supplebis defectum in sequenti Confessione. Si dixisti ut dubium, quod erat certum, constat quid agendum sit ex Conclusionis præcedenti. Hic restat dicendum de defectu commissio circa numerum, v. g. dixisti: *Decies fui fornicatus plus minus*; & postea reperis te duodecies, vel vigesies id fecisse; putas quia sufficienter expressisti numerum peccatorum? Conclusio nostra est communis DD. sententia, quam practicando non peccabis.

Atque in primis insufficienter fuisse expressum, si postea reperias te vigesies fuisse fornicatum, non est dubium: excessus quippe iste nimis notabilis est, ut possit intelligi sub his verbis: *Plus minusve*, quando adduntur

numero denario. Quod addo; quia si adderentur numero millenario, posset subintelligi: quò enim numerus certus, qui exprimitur, maior est, etiam major numerus incertus sub illis verbis potest intelligi: sic tamen, ut semper interveniat aliqua parvitas in numero, qui subintelligitur vel simpliciter, vel respectivè ad numerum certum. Ut si dicas: *Tertio plus minusve peccavi*, verum dicis, etsi quarto vel secundo peccaveris: quia licet unum sit tertia pars numeri tertij; est tamen in se satis parvum. Si autem dixeris: *Peccavi centies plus minusve*: non verificantur isthæc verba, si centum triginta vicibus peccaveris: quia triginta licet non sit tertia pars numeri centenarii, tamen neque in se, neque respectivè ad centum, sunt aliquid parvum, sicuti respectivè sunt aliquid parvum ad numerum millenarium.

Appositè Ulpianus in leg. 192. ff. de V. S. *Lex 192. ff. de V. S. Hæc adiectio plurivæ, non insinuat pecuniam continet, sed modicum; ut taxatio hæc: solidos decem plurivæ, ad minutulam summam referatur.* Ubi Glossa verb. *Modicum*: *Id est (inquit) duos aureos, ut supra de dolo l. Idem. secundum quosdam. 2. Alii usque ad 4. eius quod principaliter dicitur, id est, de quo agitur: arg. Cod. de moffic. est. l. Si quis suo, ubi quartam appellat minutulam 3. Tu dic arbitrio iudicis; ut supra de iure delib. l. 1. §. At prætor.* Hæc Glossa. Ergo consimiliter in nostro casu, quamvis Nonnulli dicant; esse debere quartam partem assignati numeri, Alii tertiam, Alii quintam, Tu dic arbitrio prudentis viri, quam ipse omnibus consideratis æstimat parvam.

Fateor (inquit Atriaga disp. 31. nu. 51.) *155.* me non videre ullam regulam generalem: Atriaga putat non optimum tamen consilium esset pro Confessariis ipsis, si, quando poenitens dicit: *Turavi v. g. centies plus minus*, interrogent illum: *Putasne te decies supra centum probabiliter, nec ne?* Et sic suo modo in similibus numeris: tunc enim, si poenitens ipse scit se in hoc determinare, respondebit statim, & cessabit dubium. Si non scit, non est amplius querendum, sive jam Confessarius dubitet, an illud plus denotet 30. sive 20. sive 50. quia non tenebitur poenitens tunc plus dicere.

Planè: sed quæstio est, utrum postea occurrente majori numero, non teneatur plus dicere. Equidem Aliqui affirmant: & (ut verum fatear) satis consequenter ad illam sententiam, quæ asserit, peccatum dubiè expressum debere exprimi certò, quancumque ut tale occurreret memoria.

Nihilominus communis sententia est in *156.* contrarium, non obligans poenitentem ad exprimendum majorem numerum postea occurrentem, nisi notabiliter excederet iudicio prudentis numerum antea confessum; idque quia quod parum est, pro nihilo reputatur, notabiliter excederet.

& sufficienter censetur cognosci à Confessario ad imponendam proportionatam penitentiam, & pronuntiandam debitè sententiam Absolutionis, ut non jam sub dubio, sed positus certò fuerit expressus numerus peccatorum juxta institutionem Christi. Cùm enim difficillimum sit, propter labilem memoriã, præcisè reminisci determinatum numerum peccatorum, sensus & praxis communis satis indicant, Christum non voluisse certiorẽ expressionem numeri, estò voluisset certiorẽ expressionem speciei, quæ facilius & communis diligenter cogitanti occurrit, nec à Confessario potest cum fundamento suspicari, uti communiter suspicari potest parvus excessus in numero peccatorum significatus per illa verba: *Plus minusve.*

*Herincx.*

Ordinariè (inquit Herincx 4. part. tract. 4. disp. 3. n. 23.) penitens, qui taliter expressit (numerum peccatorum) sicut scribit, potest esse securus, cùm non sit natum contingere, ut postmodum accipiat certam notitiam numeri magis determinati, qui hunc certò deprehendere non potuit ante Confessionem, instituto diligenti examine.

*157.*  
Quid factum si penitens nullam prorsus verisimilem numerum possit exprimere?

Sed, quid si penitens, etiam post diligentissimum examen, nequidem aliquem verisimilem numerum possit exprimere, ut frequenter contingit in hominibus rudibus passim peccantibus, & raro confitentibus? Respondeo: debet Confessarius eum colligere meliori modo, quo potest ex lapsu temporis ab ultima Confessione, ordinariã conditione vivendi, & communi frequentia in singulis diebus aut hebdomadibus.

Quòd si nec hoc modo frequentiam peccati exprimere quis possit, ut contingere solet in meretricibus, per annum vel annos ad conjugum libidinem prostitutis, (idem est de usurariis & similibus) confiteatur penitens animi preparationem ad peccatum, & tempus, quo in eo vitã instituto permanfit. Teneretur tamen quantum potest confiteri speciem & numerum peccatorum, quæ in tali genere sunt extraordinaria v. g. quoties peccaverit cum Sacerdotibus, cum propinquis, cum conjugatis &c. Item quoties peccaverit peccato contra naturam. Sæpè etiam necessarium erit explicare circumstantiam loci: quia contingere potest, quòd una meretrix in uno loco, puta frequentissimo hospicio, decies fornicetur, dum alia in domo privata tantum semel. Igitur quæ meretrix fuit in loco frequentissimo, omnium libidini obedire parata, nisi id explicet, non censetur adhuc in communi & in confuso satis explicuisse numerum peccatorum suorũ. Ita Dicastillo disp. 9. n. 57.

*Dicastillo.*

*158.*  
Notabile pro Confessione factis ex Herincx.

Experientia docet (inquit Herincx part. 2. tr. 2. disp. 5. n. 58.) homines rudes præsertim raritus confitentes, determinatum numerum peccatorum haud scire, minus exprimere posse

vel si rogati exprimant; sæpè merè conjectando illum exprimere, sive quia tacere erubescunt, sive ut à molesta Confessarii interrogatione se eximant. Proinde circa tales præcipue ad laborandum est, ut ad sit serã contritio ac detestatio peccatorum, cum propolito ipsa & occasiones peccatorum vitandi. De cetero autem ex notitia temporis elapsi ab ultima Confessione, durationis peccati, statibus & consuetudinis vivendi, frequentie occasionum &c. formare studeat Confessarius qualem poterit de numero peccatorum judicium, dum magis determinatum frustra se sperare, prudenter existimabit. Hactenus præfatus Auctor.

Itaque in his & similibus casibus attendat Confessarius, ut magis sit sollicitus de serio consentium dolore, ac proposito emendationis, quam de materiali integritate, quæ frequentissime est impossibilis, & consequenter non necessaria ad valorem ac fructum Sacramenti.

Attendant quoque penitens, qui propter peccatorum inveteratam consuetudinem non potuit numerum distinctè explicare, & ideo dixit tempus, locum &c. se fortassis excusari ab iterata Confessione particularium peccatorum, quæ sibi postmodum in memoriam occurrunt, licet hic & nunc posset ea magis distinctè aperire. Ratio est; quia in illi confusa narratio fuerunt comprehensa, & directè absoluta, ut docet communis sensus, & praxis Ecclesiæ.

Verumtamen consulitur iterata Confessio, tamquam tutior & summè utilis hujusmodi hominibus tum ad perfectius satisfaciendum pro peccatis præteritis, quæ propter nimiam multitudinem in prima Confessione non poterunt condignè puniri, tum ad facilius abstinendum à futuris. Qui etiam efficaciter proponit emendationem alicujus particularis peccati, occurrente postmodum occasione peccandi, tenacius observabit propositum, quam si tantum in genere proposuisset non peccare. Omitto specialia auxilia gratiæ, quæ ex opere operato conferuntur per hoc Sacramentum. Hinc Confessarii peccatoribus, sæpè reincedentibus in eadem peccata mortalia, injungere solent ad novã vitæ custodiam, & medicamentum infirmitatis frequentiorẽ Confessionem.

Sed dicet aliquis: ex hac Conclusione & præcedenti, videtur consecrarium, eum, qui oblitus fuit peccatum certum ex oblivione, vel aliã sine culpa, non manere obligatum ad iteratam illius peccati Confessionem; quoniam secundum Tridentinum sess. 14. c. 5. Peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem Confessione inclusa esse intelliguntur. Ergo etiam eadem Absolutione directè absoluta: ergo non manet obligatio alterius Absolutionis, Atque

Atque hæc permotus ratione quidam Lector Sacre Theologiae, in publicis Assertionibus, defensis Mechliniæ in Conventu nostro an. 1649. 12. Aprilis, assertionem 16. in fine sic statuit: *Confessio peccati dubii ac certi, citra culpam antea non expressi, est in praxi apud fideles superior ac utilissima; eius tamen obligatio forte communiis assertitur, quam clarè ostendatur.* Et cum ab Oppugnantibus urgeretur his Consequentiis: Ergo qui oppressi infirmitate nequeunt se accusare; nisi de peccatis in genere, non tenentur postmodum in particulari amplius confiteri. Ergo milites, qui instante pugna absolvuntur factâ generali tantum Confessione, non tenentur postmodum in particulari amplius confiteri. Itemque navigantes qui in periculo naufragii sic absolvuntur; omnes huiusmodi Consequentiis admittit, contra universalem praxim Ecclesie, & unanimum consensum DD. qui hæcenus de hac materia scripserunt: est quo utique consensu, & à qua ratio non est recedendum, propter auctoritatem illius Theologi, non bene fundati, ut jam ostendo.

Concilium Trident. in verbis præallegatis non loquitur expressè de omnibus peccatis citra culpam antea non expressis, sed de solis peccatis oblitis, sive quæ diligenter cogitanti non occurrunt; de quibus posset esse alia ratio: quia physicè impossibile est confiteri, quod cogitanti non occurrat. Unde, tametsi Christus voluisset, non potuisset eorum Confessionem præcipere; secus illorum, quæ quidem cogitanti occurrunt, tamen non absque magna difficultate hic & nunc possunt explicari in Confessione. Et ideo Christus meritò voluit, ut cessante illâ difficultate, in particulari exprimerentur, quamvis antea indirectè forent remissa per Absolutionem, ratione gratiæ satisficientis, quæ non datur sine remissione omnium peccatorum, eo modo, quo deleta fuissent per Contritionem Charitate perfectam sine Sacramento, est solum fuisset Contritio formalis unius peccati. Sicut ergo peccata deleta per Contritionem oportet confiteri; ita & ista indirectè remissa per Absolutionem.

Et sanè de hac indirecta remissione tota Ecclesia semper intellexit præfata verba Tridentini; & ideo etiam consequenter intellexit, peccata oblita, dum postea cogitanti occurrunt, in particulari esse exprimentia, & directè absolvenda.

Quæris à me, quid sit directa remissio per Absolutionem, seu directa Absolutio? Jam superius ad hoc respondi, agendo de peccatis dubiis; & iterum dico: Est Absolutio alicujus peccati directè confessi, id est, declarati non in genere dumtaxat, sed potius in specie & sigillatim; porro peccata oblita, ut & alia citra culpam omnia, nunquam fuerunt declarata in specie & sigillatim, etiam in consulo,

ita ut Confessarius aliquam habuerit notitiam speciei & numeri; ergo nunquam fuerunt directè absoluta. Quid ergo miramur, si debeant postmodum declarari in specie & sigillatim?

Deus est, qui præcepit penitentibus declarare sua peccata non in genere, dumtaxat, sed potius in specie ac sigillatim, sive alioquin sint remissa; sive non, ut patet ex Tridentino sess. 14. c. 3. ibi: *Constat Sacerdotes iudicium hoc, incognitâ causâ, exercere non potuisse, neque equitatem quidem illos in penis imungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat; & non potius in specie ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent.* Et infra: *Calligunt præterea etiam eas circumstantias in Confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant; quod sine illis peccata ipsa neque à penitentibus integrè exponantur, nec iudicibus innotescant; & fieri nequeat, ut de gravitate criminum rectè conferri possint, & poenam, quam oportet, pro illis penitentibus imponere.*

Itaque per Confessionem peccati in genere, aut unius in specie, minime latisit præcepto divino confitendi omnia peccata mortalia in specie & sigillatim; quamvis alioquin in certis casibus, quando physicè vel moraliter alia Confessio non est possibilis, sufficiat ad validam Absolutionem, & remissionem omnium peccatorum accipiendam, ne alioquin Confessio, quæ hæc ratione fieri præcipitur, meritò impossibilis dicatur, aut carnificina conscientiarum appelletur; & ne falsum Sacramentum frustretur suo effectu, cum frequentissime homines obliviscantur alicujus peccati.

Unde (quod bene advertendum est) non dicit Trident. *Reliqua peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in speciali, eadem Confessione inclusa esse intelligantur, sed, in universum, ut significet illa peccata non specialiter absolvi seu remitti per illam Absolutionem, sed solum in universum, seu generaliter.* Cum ergo Christus requisiverit Confessionem & Absolutionem in speciali, non solum seutior ac utilissima est Confessio peccati, citra culpam antea non expressi, sed prorsus obligatoria; sicut obligatoria est Confessio peccati antea deleti per Contritionem Charitate perfectam; adeoque iudico contrariam opinionem omnino improbabilem, & nullatenus in scholis admittendam aut practicandam. Præsertim cum post hæc scripta Alex. 7. die 24. Sept. an. 1665. damnaverit & prohibuerit, ut minimum tanquam scandalosam, hanc propositionem: *Peccata in Confessione omnia, seu oblita ob instantis periculum vite, aut ob aliam causam, non tenentur in sequenti Confessione exprimere.*

Hinc oritur quæstio; utrum qui oblitus fuit alicujus circumstantiæ mutantis speciem, teneatur postea, dum eam circumstantiam confiteretur, repetere etiam ipsum peccatum, an verò satisfaciatur declarando solum circumstantiâ v.g.

ppppz injulli-

163.  
Per Confessionem peccati in genere, aut unius in specie non latisit præcepto divini.

Calligunt præterea etiam eas circumstantias in Confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant; quod sine illis peccata ipsa neque à penitentibus integrè exponantur, nec iudicibus innotescant; & fieri nequeat, ut de gravitate criminum rectè conferri possint, & poenam, quam oportet, pro illis penitentibus imponere.

injustitiæ, non dicendo, utrum in materia luxuriæ, an honoris &c. Responsio erit

## CONCLUSIO VII.

Oblitus alicujus circumstantiæ mutantis speciem, si eam possis declarare, non declarato peccato, non teneris illud repetere; sin minùs, repetendum erit.

164.  
Exemplum  
2. part.  
Conclus.

**E**xemplum primæ partis est de eo, qui habens votum castitatis fornicatus est, & confessus est fornicationem; sed propter oblivionem, vel aliam justam causam omisit circumstantiam voti violati; communis sententia docet, satisfacere penitentem, si explicet circumstantiam omisam, non explicato iterum peccato, quod jam est confessus, dicendo v. g. *Violavi votum in re gravi*. Ratio est: quia per illa verba declarat peccatum suum in specie ac sigillatim: etenim violatio voti perfidia est ad Deum, ejusdem speciei circa quodlibet obiectum, veluti observatio voti est fidelitas ad Deum, ejusdem speciei circa quodlibet obiectum.

Diversitas  
votorum ex  
parte mate-  
riæ non  
est expli-  
canda, nisi  
materia ali-  
unde sit  
præcepta.

Tota ergo diversitas votorum ex parte materiæ prorsus materialis est, adeoque minimè explicanda (quidquid Aliqui in contrarium velint) in Confessione, nisi materia aliunde præcepta sit, ut in casu proposito, in quo violatio voti conjungitur peccato fornicationis planè diversæ speciei, utique contra virtutem castitatis, quæ seculo voto prohibet copulam cum non sua. Unde malitiæ illæ manent prorsus impermixtæ: potest enim quis peccare contra votum in materia castitatis, & non contra virtutem castitatis, v. g. si habens votum castitatis petat debitum ab uxore. Et vice versâ potest quis peccare contra virtutem castitatis, & non contra votum castitatis, v. g. si non habens votum castitatis fornicetur? Quid ergo mirum, si una malitiæ possit in specie & sigillatim declarari sinè altera, etiam quando in eodem actu per accidens conjunguntur? Non video rationem dubitandi.

165.  
Ratio dubi-  
tandi de  
Exemplo 1.  
part. Con-  
clus.

Ratio (inquis) dubitandi est; quòd ille, qui confitetur se violasse votum in re gravi, non explicando materiam, hoc ipso significet, materiam aliunde non fuisse prohibitam: ergo non confitetur peccatum, quod fecit, sed quod non fecit; sicuti qui dicit, se furatum esse quinquaginta, cum furatus sit centum, significat se solùm quinquaginta furatum: quod cum sit falsum, jam non confitetur furum, quod fecit, sed aliud, quod non fecit; adeoque Confessio hujusmodi est invalida.

Propter hanc objectionem (inquit Arraga disp. 35. n. 35. in fine) putat Lugo disp. 16. n. 657. stando in ratione, probabiliorē esse contrariam sententiam, quam ita tenet Silvester verb. *Confessio*. 1. q. 10. ut dicat, contrariam magnum errorem continere. Hæc ille.

Sed hallucinatur: nam in primis hæc sunt verba Cardinalis: Ex hoc exemplo & argumento (ut verum fatear) licet sententia illa, quam hucusquæ explicuimus, quòd possit seorsum explicare in secunda Confessione circumstantiam omisam, non explicato deus peccato, probabilissima sit, & tuta in praxi, propter auctoritatem tot & tantorum Doctorum, stando tamen in ratione, semper mihi difficilis visa est. Et suprâ n. 660. Videtur ergo satis probabilis, stando in ratione, sententia Silvestri. Hæc Eminentissimus. Tu vide, an propter eam putet, probabiliorē esse contrariam sententiam.

Quantum ad Silvestrum, non satis constat, an loquatur de presenti controversia. Subscribo ejus verba: Esto quòd esset vera ista opinio (puta, circumstantiam sacri temporis esse necessariò consistendam) adhuc Summa Angelica dicit magnum errorem, in Tit. *Immunitatio*. §. 6. in fine, ubi vult, quòd circumstantiam Fæsti sufficit confiteri, non specificando speciem peccati; sed dicendo, quòd in Fæsto totiens peccavit, falsum est: & insert contradiotionem in dictis ejus; quia si ista circumstantia est necessaria, aggravat infinitè; ergo dat speciem peccato. Ergo illud peccatum sinè tali circumstantia non est dictum quantum ad suam speciem; ergo non est sufficienter confessum, cujus oppositum iste dicit, Ita Silvester.

Summa autem Angelica sic inquit: Quia difficile est scire dicere, quæ peccata commisit in Fæstis; & interrogare in quolibet peccato, si illud commisit in Fæsto, est difficile; potes sinè alio scrupulo peccatorem interrogare sic: *Peccasti mortaliter in Fæsto?* Et si dicit, quòd sic, interroga secundò: *In quot Fæstis?* Et si nescit, interroga eum: *Si quasi in omnibus, vel in maiori parte ipsarum, vel in minori.* Et terciò interroga: *Si in eodem Fæsto aliquando bis vel sextus & septus.* Et sic sufficit quoad istam circumstantiam, absque hoc quòd exprimat speciem peccati, quòd commisit; vel absque hoc, quòd in quolibet peccato, quòd confitetur, interroges, *si fecit in Fæsto*. Hactenus Angelus de Clavasio Ordinis Minorum Vicarius Generalis Cisimontanorum FF. Obliviantia.

Qui (ut liquidò constat ex verbis mox recitatis) non loquitur de casu nostræ conclusionis, v. g. an, si aliquis fuisset confessus peccatum, quòd fecerat in die Fæsti, pura fornicationem, oblitus illius circumstantiæ, in se-